

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

Caput III. De Burgundia Sequanica, Sive Regno Burgundiae Veteri

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

Saepe nominatus Vignierius non multum abit, quum existimat, Aetium, cur remitteret Burgundionibus iniurias, spe auxilii contra Francos ferendi inductum fuisse Chron. p. 11. Contra alii putant, maius eius rei momentum fuisse in iusto metu, ne ad transrhenanos se adiungerent, collectisque deinceps viribus, vehementius commoverentur. V. Bucherius p. 492. Praesertim cum eo tempore denuo insurgerent Franci, Galliamque peterent, et Treviros praecipue vastarent. Vid. Stumpsius Chron. Helvet. lib. 4. cap. 25. Quae est quarta illa et fatalis Augustae Trevirorum everfio, quam prudens et religiosus Massiliae sacerdos graviter annotavit. Non agitur, Treverorum urbe excellentissima, sed quia quadruplici est everfione prostrata, de gubernatione Dei lib. 6. p. 211. Respicit morem scenicum tunc temporis in Gallia passim receptum frequentissimumque, adeo ut Christiani homines a sacris sese abstrahi ad ludos quam saepissime paterentur. Nunc vero rebus Francorum irruptione conversis, non id agi apud Treviros, eo quod excisa, nil nisi vastam solitudinem ostendat. Eodemque libro notat Romanos, sua culpa in tantas difficultates delapsos, ut specie munerum tributa Franci penderent, quod cum obscuraret Rom. imperii gloriam, Aetius instauratis ductu suo rebus, omnes vires consiliaque ad Francos depellendos converterit, et Burgundionibus etiam ad perficiendum inceptum uti voluit, si persequi belli viam, invidiamque effugere, et vitam contra insidias et adia suorum firmam servare potuisset.

## CAPVT III.

DE BURGUNDIA SEQVANICA, SIVE  
REGNO BURGUNDIAE VETERI.

Post has fortunae vicissitudines, Romani Burgundionibus benigne acceptis, opportunam commodamque habitandi rationem comonstrarunt, et agros apud Ararim Rhodanumque optimos atque fertiles addixerunt, tamque liberales utilitatis publicae causa se praebuerunt, ut cum intelligerent, quod commodum quive honor eis tribueretur, tum aestimarent, hunc datum esse referendae gratiae locum, ut, si qua postulare occasio, utilem imperio operam navarent. Nihil recusabant Burgundiones, praesentique fortunae se accommodabant, parati ad id genus beneficii accipiendum, quod inclinatis bello rebus nullum auspiciatius praesidium afferri potuisset, et laetior, atque sperassent, superiorum rerum exitus fuisset. Itaque promptis paratisque ad vertendum solum animis iter ad Sequanos faciunt, remque publicam concludunt, et novis legibus institutisque ornant, et priora damna cum novis emolumentis computant, pristinasque calamitates oblii, cum regno iam instituto nomen quoque Burgundiae iis in oris auspiciantur, (a)

(a) An-

(a) Annorum reſte partienda ſunt intervalla, in re praefertim obſcura, multisque difficultatibus impedita, cum ſaepe ſcriptorum inopia, interdum et diſſenſio eſt, nec ſine labore et caedio quaedam perquiruntur, niſi eorum rationes apte congruenterque colliguntur. Proinde ut notis numerisque temporum ordiar, Burgundiones poſt commotos anno CCCCVI. \* Vandalos, quorum fortunam prope perditam Alani, poſtea Burgundionibus comiuncti ſuſtentarunt, anno CCCCXI. et CCCCXII. ſine dubio adhuc trans rhenum conſiſtebant, eorumque rex erat Gundicarius, a Stilicone ad invadendos imperii fines incitatus, qui Iovino tyrannidem occupanti ſtudium operamque attulit, occaſionemque labefactandi Occidentis imperii arripuit, cauſamque hanc ſuae quoque utilitatis gratia diligenter egit, cum Honorius imp. tam perturbato rerum ſtatu ſive ceſſione provinciarum redimere pacem, ſive earum derelictione omittre bellum cogereſſet. Olympiodorus apud Photium ſcribit. *Ἰωβίνου ἐν Μουδιᾶκῶ (Μογυντιακῶ legendum) τῆς ἐπίρας Γερμανίας καὶ πρὸ τῆς αἰλᾶς, καὶ Γαβνιας, ὃς Φύλαρχος ἐχρημάτιζε τῶν Βαργυντιῶν, τὴν αἰνηροῦν.* \*\* Conſentit Renatus Profuturus Frigeridus, cuius fragmentum ſuperreſt, qui ſequentia poſteritatis memoriae ſervavit. Vixdum, inquit, quartus obſidionis Conſtantini menſis agebatur, cum repente ex ulteriori Gallia nunciū veniunt, Iovinum aſſumpſiſſe ornatus regioſ, et cum Burgundionibus, (Tunc adhuc in Germania barbarica, ſive transrhenana degebant.) Alamannis, Francis, Alanis, omniſque exercitu imminente obſidentibus, ita acceleratis moris, referata urbe Conſtantine deditur, apud Gregorium Turonenſem lib. 2. cap. 8. Conf. Sozomenus lib. 9. hiſt. eccl. c. 13. 14. 15. Hæ turbidæ imperii rebus excitū Burgundiones, Honorio imp. cui viſ ac potentia huius gentis certe ſuit formidabilis, regiones rheni coniunctas in pignus concordiae offerenti libenter conſenſerunt, ac deinde anno CCCCXIII. (Proſper apud Scaligerum notat An. 414) auſpicio ductuque Gundicarii regnum condiderunt in Germania cürhenana, quod conſulatus Fl. Luciani, cuius collega deſtinatus foedo ſupplicio periit, luculenter deſignat. Eſt autem tunc Burgundiones cürhenanas Germaniae oras incolabant, regemque habebant, tamen Burgundiae nomen Germaniae primae non indiderunt, neque antehac Germaniae transrhenanae impoſuerunt, et ſi poſtea Franci Burgundionibus

Bb

dioni-

\* Argumento huius epochae eſt conſulatus Arcadii VI. et Probi, ſed Proſper, qui apud Scaligerum in theſauro temporum eſt, annum 407. nominat. Marcellinus Comes an. 408.

\*\* Iovinus in Moguntiaci (apud Moguntiacum) Germaniae alterius (Cürhenanae primae) urbe ſtudio Goaris Alani, et Guntiarli, qui Praefecti (Principis) Burgundionum munus tenebat, tyrannus renunciatus eſt, in excerptis apud Photium p. 183. Vbi nota uſu Graeco-Romanorum τὸς ὑπὲρ τὸν Ρῆνον non denotari nomine Germanias. Nec itaque Germanias vocabulo τὴν κατὰ Γερμανίας, ſed ſuperiorem cis rhenum dicit. Ἰπάρχον vocat Guntiarium, quia regis nomen proprie et per eminentiam ad τὴν τῶν Ρωμαίων βασιλείαν pertinebat.

tionibus a Moeni limite in Germaniam cisrhenanam I. profectis successere, nomenque reliquerunt, quod ad omnem posteritatis memoriam transmissum hodie durat. Anno autem, ut colligo, CCCCXIII. egressis inde Burgundionibus, Franci ex Geldria sive ultima Batavia oriundi, et irruptionum successibus clari, transrhenum habitaverunt, et reliquias ad Moenum sedes, quas ipsi Septentrionem versus proxime contingebant, in suam ditionem redegerunt, initiumque hoc Franciae in superiori transrhenana ora, quae corrupto post nomine Franconia dicta est, auspiciis fecerunt. Pars in inferiori transrhenum limite consistebat, et Germaniae Cisrhenanae II. incumberebat, cuius possessionem, consentiente Honorio Imp. A. CCCCXXIX. (Prosper apud Scaligerum 429.) COSS. El. Felice et El. Tauro adpta est, ac post varias deinceps rerum commutationes, rebus prosperis instauratis, penetravit in Galliam, sed quo potentiae ibi constituta, regnum Franco Gallicum inchoavit. \* Caeterum Burgundiones, ex quo Germaniae I. finibus excefferunt, ampliusque regnum animo conceperunt, super atque anno CCCCXXI. Hunnis; (Vid. Pontus Heuterus rer. Burgund. lib. 1. ed. Lovan. Vignierius Chr. p. II.) struere ad maiora gradum, et oppugnare ditionis Romanae provincias, pacemque adeo cum Honorio factam violare coeperunt, iussu Valentini III. in eos movit Aetius, et anno CCCCXXXV. (Congruit Era Coss. quam exhibuit Cassiodorus.) (Prosper vulgaris CCCCXXXVI. nominat,) traiecit in societatem Francorum stipendiarius, iusto praelio vicit. Inde pacem supplices petunt, nec repudiat condiciones Aetius, postulatque, ut Romani nominis auctoritatem sequantur. Simul res statumque salva eis fore promittit, et in Galliae interiora, ubi Segvani, Aedui et Allobroges habitant, traducit. Etsi vero alii fere alios annos supputant, tamen mea cum plerisque et temporum scientia eximius viris opinio est, Burgundiones septem annis post, quam ab Aetio victi erant, Sabaudiam finitimamque oram obtinuisse, atque hinc ulterius ad Ararim Galliamque Lugdunensem processisse, sed antequam eae sedes attributae sunt, veres superiores recentis hac clade attritas utcumque refecisse: deinde ipsis fucata licet ex mente Romanorum pace compositis supervenisse Hunnos, belli superioris memoria offensos, aetiusque ab Aetio ad ultionem stimulos: his igitur rebus praelio utrinque conferto, maiorem accepisse cladem, regemque Gundicarium cum stirpe pariter et ingenti suorum multitudine amisisse: debinc cum hostes \*\* Franci Hunnique bellum face-

rent,  
 \* De Francis vid. Procopius lib. 1. de bell. Goth. eorum finitimos vocat Armorichos, quos vulgo, sed perperam Arborichos legunt. Fuitque primus Francorum rex Pharamundus, quem regnasse A. 417. indubitato coelestis characteris argumento probat doctissimus Gottofr. V. Vendelinus. Minime vero negari debet, Francos etiam ante Pharamundum habuisse reges, sed primum cis rhenum fuisse Pharamundum. Nova autem et vera Franco-Galliae epocha constituenda est in Childerico Merovaei, qui totam prope Galliam Romanis eripuit, filio, apud Fr. Hotoman. in Francogallia cap. 5.  
 \*\* A. CCCCXLII. quo scribere desit Salvanus. Patetque id, si ad annos 435. qui epocham cladis ab Aetio acceptae denotant, 7. anni adiciantur, unde epocha trans-

rent, in Sabaudiam proximamque agrum, annuente Valentiniano III. transisse, nec nisi reliquias maximi et nuper florentis populi ex ea strage superfuisse, quibus, mora temporis forsitan, ad ingenium redituris, coniungendi se occasio cum Francis praecisa est, tempestivo sane consilio, et metu, quum futura providentur, non vano. Vix autem se collegerant, viresque consumtas quodammodo reparaverant, quum Aetila in eos duxit, et vires ex superiori, quam Aetius ipsis attulit, clade reliquas porro ita confecit, ut posthac pristinum robur, pristinumque potentiae splendorem recipere non possent. Vid. Prosper Vulgaris, Eusebii et Hieronymi Chronico subiunctus, in quo legimus, Gundicarium Burgundionum regem, quem intra Gallias, \* obtriverat Aetius, pace ab eodem accepta non diu esse potitum, siquidem illum Hunni cum populo suo ac stirpe delevisent. Scripsit, non diu: ut vel haec verba indicio esse possint, Gundicarium regem non modo non interfuisse praelio Catalaunico, quod multi recentiorum tradunt, sed ne posteriori quidem cladi, quam Aetio reconciliatus, ab Aetila cum Romanorum amico, acceperat, superfuisse ac supervixisse. Certe ergo A. CCCCXXXVI. caesus erat Gundicarius, atque adeo in Sabaudiam, et interioris Galliae regiones minime traductus fuit. Cassiodorus, quum in eandem sententiam scribit, testis est, Hunnos non multo post Gundicarium, de quo ibi loquitur, peremisse. Non multo post, inquit, ut comprobet, non magnum spatium inter Aetii Attilaeque reportatam de Burgundionibus victoriam intercessisse, id est, non plus anno, ut apud congruensque temporum ordo servetur. Idacius, ut pleraque in eo non satis explicata sunt, de caede Gundicarii nil prodit, et in temporum rationibus saepe est confusus. Prosper Pitheaeus magnum affert Prospero vulgari pondus et pronunciat, universam pene gentem Burgundionum cum rege per Aetium deletam. Quod ita accipi debet, ut rex per Aetium deletus dicatur, quem per alios delevis, quando Hunnos concitavit, qui inquietum hunc regem tandem deleverunt, populumque Burgundicum tantum non exciderunt. Hermannus Contractus Comes Veringensis, qui anno 1013. natus, anno 1054. mortuus est.

Bb 2

cum

transitus in Sabaudiam Genevensemque Agrum conficitur 442. Sunt tamen, qui A. 443. numerant, annumque cladis I. Burgundionum 436. assumunt, septenauiumque addunt, ut epocham translati ulterius Burgundionum populi componant. Ego autem A. 436. clade Burgundionum ab Hunnis accepta insignitum puto, alioqui sane liquet, scripsisse Salavianum ante illatam ab Attila Hunnorum rege vastitatem.

\* Inquit, Gundicarium sedibus suis non contentum ex Germania I. movisse, Romanosque infestasse, atque adeo intra Gallias, id est, in conatu eas occupandi, sedesque propagandi ab Aetio victum, nec diu post, nempe anno inter cladem ab Aetio et Attila acceptam elapso, deletum. Quo tempore Burgundiones nihil in Sabaudia, nihilque inter Araris Rhodanique limites vel occupatum, vel a Romanis concessum tenuerunt. Hinc sententiae nostrae non officit, si intra Gallias de Gallis non Rheno coniunctis, sed ulterioribus exponatur.

cum Cassiodorum secutus memorat, visum ab Actio Gundicarium, tum statim haec subiungit: quem Huni post peremerunt, in Chronico ad an. 435. Ita vero habent Codices Vrsifianus et Pistorianus: multum vero discrepat codex Canisianus, et Prosperi, cuius potissima hic auctoritas est, \* verba in notatione temporis retinet, et pace ab Actio concessa non diu potitum testatur. Florit autem Hermannus noster, imperante Henrica III. Saliquo, qui in serie Imperatorum Roman. fuit secundus, atque adeo hunc denotavit Henricus Canisius, quum Hermannum ad tempora Henrici imperatoris secundi refert, antiq. lect. tom. 1. pag. 431.

\* Perperam autem pro obtrifit, ibi legitur obtinuit, uti hoc legere etiam licet in Prospero Sighardi. Vid. annot. supra.

§. II. Dum haec fortuna est Burgundionum, oppressio rege non modo nihil in Romanos moliri, sed ne suis quidem viribus commoda dignitatemque pristinam instaurare, remque publicam a vi et externo imperio defendere potuerunt. Quare eorum reliquiae sine rege, sineque praesidio erant, et incertae futuri sortem suam expectabant, facile periturae omnes, nisi Romanis aliunde periculum extitisset, quod certe Burgundionibus saluti fuit. Iamque duo terribiles et validi hostes in armis erant, Romanosque infestabant, quum Burgundiones, quibus sive excidium, sive servitus impendebat, foedus externarum gentium circumspicere suspecti, a Romanis in societatem admittuntur, atque in ultiores Galliae regiones transferuntur. Quibus vero conditionibus id factum sit, a nemine perscriptum est: id vero dubitatione vacat, resque ipsa et eventus locuples actorum testis declarant, certis servandae fidei ferendique auxilii conditionibus recte quidem et prudenter fuisse receptos, quia non erat committendum, ut eo tempore, quo omnia motibus plena erant, populus iste, data occasione nihil non ausurus, ad desperationem adigeretur. Itaque post decessum Gundicarii (b) oblitteratam prope superioris regni dignitatem instaurant, Romanisque veteri amicitia et foedere iuncti, fortunae temporumque difficultates emendant, et aequam communemque libertatem honestissimis institutis tuentur. Atque haec regni Burgundici, quod inter Germanica primum religione cultum est, quodque ob nobilitatem gentis nomen semper insigne habuit, laeta auspicataque initia fuerunt.

(b) Erepublica fuit consilium, quod propter periculum a vicino metuentium in tempore susceptum est, quod cum res ipsa, tum factorum eventorumque consensus declarat, ut quum Burgundiones intelligerent, regnum se velut precarium a Romanis accepisse, his rebus de amicitia et praestandis officiis commonerentur, ut perturbato temporum statu ne paterentur a vicinis sollicitari se ad res novas, et nil contra imperii dignita-

gnitatem facerent, de caetero iure legibusque suis uterentur. Pontus Heuterus, qui scribendis rerum Burgundicarum commentariis multam sibi laudem comparavit, excepto quod ultimorum, sed obscuritate impeditorum temporum intervalla non recte semper distinxit, et regnum in cisrbenano limite collocatum cum regno in Araris Rhodanisque fines traducto, haud idonea Prosperi, et scriptorum aetate proximorum interpretatione confudit, duo Romano Burgundicae transactionis capita enarravit, I. ut Araris ac Rhodanus Burgundici regni limites manerent. II. Ut \* Gundecus Romanis omnibus in bellis Burgundionum auxilia mitteret, *rer. Burgund. l. 1.*  
 Qua ratione sequitur, ut Gundecus primus Burgundiae rex dicatur, quando id pro vero sumitur, quod praeter Heuterum per plures alii de Gaudeco affirmant. Guilelmus Paradisus coepta in Burgundia regni initium a Gundeco, quem Gundiocum nominat, arcessit, annumque eius rei 414. supputat, *annal. lib. 1. Chap. du premier Roy de Bourgogne nomme Gundiocby.* Sed praeterquam quod eius Chronologia sibi non constat, res ipsa quoque non patitur, ut eam sententiam amplectamur, quando ex idoneis probisque monumentis constat, anno 414. Galliam rheno coniunctam Gundiocum fuisse sedem, inde postea egressum, in fines Ro. imp. incursiones fecisse, at bis victum, in postrema pugna, quam cum Hunnis commisit, cecidisse, atque adeo insigni temporis intervallo ante assignatas Burgundionibus (apud Ararim Rhodanumque sedes, atque una ante coeptum Burgundiae nomen, regnumque ibi conditum, vivere desisse, et quod his consequens est, illic nunquam regnasse. Et tamen Iohannes Stumpsius *Chron. Helvet. Gundicarium inter primos Burgundiae reges numeravit, lib. 4. Chron. Helvet. cap. 52. Nicolaus Vignierius\*\* non quidem dissimulat incertum esse, quo tempore Gundicarius vivere desierit, sed ideo non affirmat, regnum ex Germania cisrbenana in Sequanos AEduosque protulisse. Nam si Prosperi Cassiodorique testimoniis standum est, Hunni Gundicarium prius peremerunt, quam Burgundiones regnum in interiori Gallia condiderunt. Diversus autem est Gundicarius a Gunderico Vandalorum rege, qui anno CCCCXVI. e vita migravit, ut auctoribus Idacio et Isidoro constat.*

\* Fredegarii epitome, cuius auctor non est Gregorius Turonensis, siquidem ex Gregorio Turonensi eam concinnavit Fredegarius Scholasticus, cap. XI. Gundebandum nominat, quem Gregorius Turonensis lib. II. hist. cap. XXIX. Gundeuchum nominavit. P. Diaconus Gundubadum, multi Gundicarium, alii Gundiocum appellant.

\*\* Chron. p. 12. At p. 22. ibidem sumit pro vero, in Clodomaro familiae Gundiocum finem fuisse. Quo posito, Prosper et Cassiodorus laxae et *υπερβολικως* contraque simplex et proprium narrationis historicae genus interpretandi erunt, nisi Gundicarius a Gundeucho diversus, atque adeo ex alia familia oriundus statuatur.


§. III. Regum vero, qui apud Araris Rhodanisque confluentes potentiae sedem statuerunt, series successioque per est incerta, propterea quod de Gundicarii genere non idem omnes tradunt, quum alii id sublatum prorsus extinctumque affirmant: alii contra quaterna sobole auctum referunt, siquidem

dem Properi Gundicarius nomine Gundeuchi a Turonense appellatur. Verum quia Prosper centum annis Gregorio Turonense antiquior, plane satis et aperte commemoravit, Gundicarii stirpem ab Hunnis excisam esse penitusque eversam, omnino causa est, cur existimare liceat, reges Burgundiae ut nunc primum dicti sunt, ex alia, quam ex Gundicarii stirpe fuisse orundos. Vtunque sit, omnes tandem huius nationis reges nec modum potentiae tenuerunt, et inter se commissi, Francorumque aemulationi impares foedissime corruerunt. (c)

(c) Paulus Aemilius regum Burgundiae mores cum insaufis fatalibusque disfidis et crudelitate coniunctos descripsit de reb. gest. Franc. lib. 1. Sine dubio hoc respexit Bonifacius, qui ex Anglia in Fresonum Francorumque oras venit, \* Moguntiaeque et Traiecti ad Rhenum Antistes evasit, Germaniacque Apostolus dielus est, quum Athelbaldum Angliae regem sumto a Burgundionibus exemplo, a corrupta licentiorique vita debereatur, et talem insuper fortunam ipsi praedicat, qualis Hispaniae, et Provinciae, et Burgundiorum populis contigit, quae sic a Deo recedentes fornicatae sunt \*\* donec iudex omnipotens talium criminum ultrices poenas per ignorantiam legis Dei, et per Saracenos \*\*\* venire et facere permisit, ad an. 745. Vid. Abr. Ezovius hist. eccles. lib. VIII. Et vero Gundeuchi Burgundionum regis liberi caedibus et exilio in seipos saevierint, prorsusque a maioribus degeneraverint, legere licet apud compilatorem gest. Francorum cap. 11. Gregorium Turonensem l. 2. hist. c. 28. De Gundealdi impietate etiam communi consensu scriptores tradunt, quem non obscure designavit Agobardus lib. de duello ad Ludovicum Pium. Unde non poterat non ruere in deterius regnum, quod neque pietate, neque concordia firmabatur, excitatis mox in aemulationem Francis, de quibus tunc dici consuevit. Τὸν Φεργκὸν Φίλον ἔχοις, γείτονα σὺν ἔχοις. \*\*\*\* Ad intelligendam vero priscorum Burgundiae regum familiam facit subiecta genealogia.

- \* A. DCCXLV. Zacharias Ro. Pont. qui Carolovingis regnum Franciae, quod tunc Childericus Merovingus tenebat, presantibus operam navavit, A. Franc ad an. 752. Bonifacium creavit Archiepiscopum Moguntinum. Vid. Merffaeus in Arch. Mog.
- \*\* Innuat Arianam impietatem, qua Gothi, Vandali Burgundionesque se foedarunt. Vid. Fredegarius Gregorii Turonensis epitomator c. 9 et ipse Greg. Turonensis hist. l. 2. c. 9. ubi haec scribit. *Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes habitabant trans Rhodanum.* Conf. lib. eiusdem c. 32. et 34. Add. Paradinus, qui Gundiochum labe Ariana infectum tradit, anal. Burg pag. 16. Quod tamen de universa Burgundionum gente non affirmat, et contrarium quoque ex Adone Viennense constat, qui Sigismundum Christiana pietate imbutum fuisse testatur p. 168.
- \*\*\* Hispaniam Saraceni A. 712. invaserunt, ac deinceps Hispalim, Cordubam, Carthaginem novam occuparunt, nec nisi ab An. 900. VVestrogothi rem gerere feliciter, seque in libertatem vindicare coeperunt. Vid. Hisp. Scriptores.
- \*\*\*\* Francum amicum habeas vicinum ne habeas, apud Eginhartum de vita Caroli M. cap. 16. et apud Conradum Urspergensium ad A. 768. Nisi quod ille ἔχοις, hic ἔχοις in optandi modo, et sine dubio rectius scripsit,





\* Adoni Viennensi Gundoveus dicitur, Chr. pagin. 168. Vulgo cum Gundicario idem statuitur, eo quidem modo, ut Filius Gundefili, Athanarici Nepos, dicatur. Alii Athanarici Proneporem faciunt. Vnde explicari possunt loca apud Fredegarium cap. 11. et Turon. lib. 2. cap. 28.

\*\* al. Gundebaudus, item Gundebatus, al. Gundobadus: hinc lex Gundebada, sive Gundobada, pro lege Burgundionum, in LL. Langobard, atque apud Hincmarum et Agobardum, conf. gest. Franc. epit. c. 17. seqq.

§.IV. Sub id tempus Alani Burgundionum socii, unaque religionis sententia et voluntate coniuncti, eadem quietis fiducia in novas sedes profecti sunt, ac tamdiu res suas tutas habuerunt, donec ii pacem retinebant, quorum fortunam sequebantur. (d)

(d) Alani Valentini, sive Sambidenses cum Burgundionibus in Germania I. consisterunt, eademque sacra amplexi sunt, et itineris expeditionisque comites fuerunt, unamque cum his fortunam subierunt, et verosimiliter in unam gentem attentionemque cum ipsis coaluerunt, vel hoc argumento, quod, postquam in ulteriorem Galliam translati sunt, Burgundionibusque ut alias in Germania Cisrhenana, ita et in Rhodani finibus permixti aethiisque coniuncti habitaverunt, nulla eorum deinceps mentio occurrit. Tum vero Prosper Pitheaeus confirmat, iis deserta Valentinae urbis rura, quae in Delphinatu apud Rhodanum quaerenda sunt, tradita fuisse. Nam per se patet, Alanos, qui cum Vandalis in Hispaniam effusi, Emeritanam et Gallaciam provincias aliquandiu incoluerunt, hoc loco esse alienos. Iornandes indicat, post decessum Valentini III. Gallias infestasse, de rebus Geticis p. 127. Quo tempore cisi Burgundiones, iam tum sedes in Sequanis AEdusque tenuerunt, Alanique illi, de quibus diximus, una regni pacisque societate coniuncti fuerunt, tamen sibi

sibi constat Iornandes, alios, quam Valentinus nostros inueniens, ac forte eos, qui post Vandalorum in Hispanias migrationem relictii erant. Procopius a Vandalis in societatem adscitos, Gothicum genus vocat, lib. 1. Vandal. Quos Salvianus a Gothis stricte et ut quatuor insignioribus illius aeco nominibus appellati sunt, distinguit lib. 7. pag. 273. Vbi tamen alii legunt, Alemanni, mea opinione rectius. Contra quam apud Turonensem lib. 2. hist. cap. 9. pro Alamannorum sine dubio legendum est Alanorum, quandoquidem Goar, cuius ex Renato Profuturo Frigerido meminit, rex fuit Alanorum, quem secutus est Sambida, unde Alani hi Sambidenses, qui perinde ac Vandali Burgundionesque ritus Arianos amplexi sunt, nominantur.

CAPVT IV.  
DE FINE VETERIS BURGUNDIONUM  
REGNI, AC PRIMORDIO IBIDEM SUPREMI DOMINII FRAN-  
CORVM.

CUM hoc loco res Burgundionum essent, poterant quidem beneficio fortunae uti, pacemque seruire, et florentem regni statum, nuper a caede AETII auctum concordia firmare, Francorumque animos necessitudine et amicitia maiorem in modum conciliare. Quod dum sive alienati aemulatione potentiae, quae inter necessarios maxima acerrimaque est, sive impediti invidia, quae socios finitimosque saepissime in bella concitat, positoque metu, libidini affectuum indulgent, ruuntque in se invicem, et multa crudeliter faciunt, nec sanguini suo parcunt, causa occasioque belli datur Clodovaeo, quippe non passuro opprimi Godegisilum, natu minimum Gundechi filium, ne, si eius causam negligeret, a Gundebaldo fratre natu maximo opprimeretur. Quod cur faceret, multas et graves cum affinitatis et vicinitatis, tum foederis aequitatisque rationes habuit, atque adeo honesto consilio Godegisilum tuendum suscepit, iniustosque Gundebaldi conatus praevenit, ac tempestive impedit, quo minus in eum acerbius consuleret, et saevum sanguinariumque animum expleret. Omni iure enim cavendum duxit, ne idem Godegisilo, quod ipsius fratribus Chilperico et Gundimaro indigne premissis, eveniret, totaque regni Burgundici haereditas contra promissi fidem, contraque pactiois ius ad Gundebaldum, crudelitate instrumenta potentiae quaerentem, devolveretur. Itaque pro charitate in eam stirpem, proque necessitudine nuper contracta, querelae interpellationesque Godegisili apud Clodovaeum valuerunt, ut eum foedere sibi coniungeret, occasioneque pariter recuperandi illius iuris, et frangendae Gundebaldi potentiae uteretur. Praesertim quum recogitabat, ambitionem